



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

In quibus potissimum elocutio Ecclesiastica constituta sit. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

DE RHETORI-
CA ECCLESISATI-
CA AD CLERICOS.
LIBER TERTIVS.

In quibus potissimum elocutio Ecclesiastica
constituta sit.

Cap. I.



REPETAMVS definitionem Eccle-
siasticæ Rhetoricæ, quam ab initio huius
operis attulimus, vt intelligantur, quæ
nobis supersunt tractanda. Dicimus esse
artem, aptè dicendi, de rebus ad gloriam
Dei, & ad salutem animarum spectan-
tibus, probando, mouendo, & conciliando, vt ille, qui dicit,
persuadeat. Quæ autem essent res ad honorem Dei, et ad
salutem animarum pertinentes, & quod ea tribus gene-
ribus comprehendantur; item qua ratione, & à quibus
locis argumenta ducantur, tum ad docendum, tum ad
commouendum, explicauimus. Consequens est, vt de elo-
cutione Ecclesiastica dicamus, quam Ecclesiasticæ elo-
quentiæ, cuius præcepta tradimus, præcipuam partem, hoc
est, formam, appellare possumus. Nam vti probationibus,
commune est huic arti cum dialectica, cum philosophia,
& cum Theologia: aptè autem dicere ad populum, quod
est eloquentiæ Christianæ proprium, hoc est orationis Ec-
clesiasticæ munus; hac virtute, orator est oratore præstan-
tior. In his eloquentiam Ecclesiasticam constitutam dix-
imus;

rimus; vt, quicumque ea sint præditi, adhibitis ad Deum precibus, inuocatoq; sancto Spiritu, qui linguas infantiū facit disertas, et aperienti os suum, implet illud; aptè hoc est, consideratè, emendatè, perspicuè, appositè, memori- ter, & cum dignitate possint dicere.

Quòd vtile sit cognoscere, quid sit ineptè dicere, vt faciliùs cognoscatur, quis in Ecclesia aptè dicat.

Cap. II.

VT faciliùs id, quod proposuimus, intelligatur; vile erit, in medium asferre quasdam ineptias, in quas nonnulli, vt docti homines obseruauerunt, interdum incidere solent; quod minimè facimus, vt nos sapere videamur; sed vt clericis, quibus scribimus, eloquentiæ Ecclesiasticæ regulas faciliùs imprimamus. Qui ad dicendum inconsideratè assurget, non implorato diuino auxilio; nõ ineptus, sed potiùs stultus, atq; impudens est iudicandus: qui autem loci, temporis, propriæ personæ, auditorum, apud quos dicunt, rationem, aut nullam, aut minimam habent, proprio nomine inepti sunt appellandi: quorum in numero sunt ponendi illi, qui, sanctissimis diebus Natalis & Paschatis, longissimis fabellis, interdum etiã somnijs, auditorū animos oblectare student; qui, longitudine sermonis, et crebris digressionibus, auditores tædio afficiunt, & quasi sequenti die essent morituri, omnia qua legerunt, vt doctissimi viri habeantur, vnica oratione volunt promere: qui explosas iamdiu philosophorum opiniones, de fato, contra Dei prouidentiam, de sequendis volupta-
tibus,